

V<sub>1</sub> 54-95

V. a 56-97 pag 57<sup>a</sup>-59<sup>a</sup>  
B 5 Vol. II.

DE

70. 18

DISCIPLINA  
SCHOLASTICA

CONTINUATIONIS PRIME PARTICULA QUARTA.

---

PROGRAMMA

1,4 zu

14. Dec 80A 6231

QUO

ACTUM ORATORIUM  
IN STEPHANEO

HOR. POMER. DIE VII. JAN.

HABITUM IRI

SIGNIFICAT

CHRIST. GODOFR. STRUENSEE, R.



HALBERSTADII,

EX OFFICINA DELIANA, MDCCLXVI.



70.

DE

DISCIPLINA  
SCHOLASTICA

CONTINUATIONIS PRIMAE PARTICULAE QUARTA

PROGRAMMA

DE

ACTUM ORATORIUM

IN STEPHANO

HOR. ROM. DIE VII JAN.

HABITU R.

SIGNIFICAT

CHRIST. GODOFR. STRUENSEE, R.

HALLESTADIA

EX OFFICINA DELIANA, MDCCXXVII





Quemadmodum ab ipsa natura formari, quo ve  
vel animi, vel corporis habitu indoleve  
præditum esse oporteat, saltem vehemen  
ter conducat, cui educandæ juventutis  
cura committenda est, etsi tribus program  
matibus attigi potius quam explicui: spero  
tamen, eos, qui quæ a me scripta sunt, expendere volue  
runt, intellecturos esse, ita quemvis pueros optime fingere  
posse, uti largissime hæc bona, quorum mentionem feci,  
a natura habeat tributa. Quamquam autem quæ a natura  
proficiscuntur ad formandos puerorum mores utilia, imo ne  
cessaria sunt: tamen sola ad cum finem obtineudum non suffi  
cient;

cient; accedant aliqua oportet, quæ partim industria & exercitatione comparanda sunt, partim ex immenso beneficiorum divinatorum fonte per Christum aperto in nos derivantur. Quemadmodum enim vix in tota rerum natura est, quod ita sit ab ea elaboratum, ut industriam atque artem hominum non requirat: sic etiam præstantissima ingenia arte & diligentia fingenda & polienda sunt, atque hæc etiam moderandæ juventutis facultas acuenda pleniorque efficienda. Quo quidem duplex rerum genus præsertim pertinet: quorum unum in exercitatione & diligentia cujusque collocatum est, alterum Dei beneficio singulari, atque cœlesti gratia tribuitur.

Ad prius genus cum plura referri possint: hoc tempore duorum tantum ita mentionem faciam, ut, quæ pluribus verbis disputari poterant, leviter modo attingam. Unum est, ut qui moderandæ juventuti, præsertim adultæ, præponitur, ita sita literarum artiumque, quas proficitur, scientia paratus, ut possit negotium, quod suscepit, sustinere, & discentes eum commodis ipsorum consulere posse intelligant. Dici non potest, quantam hæc res ad regendam juventutem vim habeat. Quemadmodum enim experientia docet, qui muneri impares sunt raro habere eos, quos instituunt, obsequentes: ita raro accidere intelligimus, ut pueri his obedire reculent, a quibus scientiam suam augeri & pleniorum effici sentiant. Cum enim intelligunt magistrum labi, errare, & se plus videre, quam illum; non potest non ejus contemptus sequi: quod si fit, quomodo, ut, quem contemunt, ejus præceptis pareant, adducentur? Nec contemptus modo sequetur, sed, quod plurimorum peccatorum fons est, dum docentur, alia agent, multa que evenire necesse est,



est, quæ cum officio pugnant, nec, si magistri facultas atque dexteritas eos reddidisset attentos, accidissent. Quod si fit, frustra levitatem & petulantiam reprimere conabitur magister: & si asperioribus uti volet remediis, exulcerabitur malum, non sanabitur. Contra, cum is, qui præficitur juventuti, opinionem ingenii, præclararumque rerum scientiæ non modo excitare de se, sed etiam tueri potest: non modo hæc mala caveri poterunt; sed discentes erunt etiam ad obsequendum paratiores: seu quod ipsa de magistri præstantia existimatio iudiciumque facit, ut eum suspiciant, molestiamque ei creare religioni ducant; seu quod suam utilitatem suæque commoda, quæ pauci pueri plane negligunt, postulare a se intelligunt, ut bene de se merenti morem ultro & diligenter gerant; ut non raro in eo, quem suæ utilitati consulere putant, multa ferant, atque tolerant, quæ in alio intoleranda existimarent. Alterum, quod huc facit, illud est, ut qui regendam juventutem suscipiunt mores diligenter expoliant, nec honestati modo & integritati illorum, sed etiam elegantiae studeant. Ostendi proximo programme, liberum atque immunem a flagitiis & scelere illum esse debere, cui puerorum educatio committitur. Quod uti est plane necessarium, ita solum non sufficiet: elegantiam enim & urbanitatem adjungi ab eo oportet, qui finem propositum obtinere velit. Neque enim modo vitæ decori atque venustati studere officii pars magna est, ad quod adtu faciendi pueri sunt & instituendi; quod frustra ab eo, qui ipsius expers est, expectes: sed ipsa paedagogi urbanitas & elegantia vitæ ad ipsam moderationem magnum adjuvamentum habebit. Uti enim vitæ elegantia cum honestate conjuncta puerorum amorem & observantiam magistro conciliabit: ita ejus exemplum sua alliciet eos præstantia,





ut velint se ad eum conformare; & urbanitas ipsa efficiet, ut in multis rebus facile obtineat, quod importunitas atque acerbitas nulla potuisset ratione extorquere. Itaque facessant agrestes omnes, morumque rusticitate intolerandi magistri a bonarum artium officinis, in quibus puerorum mores non modo ad sanctitatem, sed etiam ad elegantiam eleganti & liberali ratione sunt formandi.

Accedo ad omnium gravissimam rem, in moderatore juventutis diligentissime requirendam. Quæ enim de bono moderatore, tum hoc, tum superioribus programmatibus sunt a me disputata ejusmodi sunt, ut, si negari non potest, vehementer ad disciplinam scholasticam recte constituendam pertinere, ne aliis, quam qui ita sunt comparati, gravissimum hoc negotium committatur, tamen in his rebus nequaquam insint omnia, sed gravissima res supersit, quæ certe abesse non potest, cum ad Christianam rationem scholastica disciplina est conformanda. Quæ quidem in nova mente habituque animi posita est, quem consequimur, cum spiritui sancto morem gerentes Christum vera fide induimus. Paucis: vere regentium esse oportet, qui gravissimo hoc munere digne cupit defungi. Quod ut probem, non disputabo hoc loco, vehementer ipsius paedagogi, si quæ agit Deo probari cupit, interesse, ut eam mentem suscipiat. Cum enim ex Christianorum disciplina constet, recte alioquin facta malefacta putari a Deo, nisi ex vera in Christum fide proveniant, diserte pronunciant apostolo ad Tit. 1, 15. eorum, qui sint polluti (qui certe omnes sunt, qui Christi sanguine per fidem non abluuntur) veraque fide destituti, immunda esse omnia, mentem adeo, & conscientiam: negari nequit, eum  
qui





qui cum Christo per fidem copulatus non est, etiam tum peccare, cum alios in officio continere diligentissime studet. Quæ cum ita sint, cuius, ut suam rationem, officiumque etiam in moderanda juventute deo placere sciat, etiam atque etiam providendum est: quod fieri nequit, nisi per fidem in Christum hoc illi testimonium impertitur. Sed, ut dixi, huic argumento hoc tempore non immorabor, ea tantum allaturus, ex quibus, neminem, nisi vera fide præditus sit, partibus suis in regenda juventute satisfacere posse, constabit. Quod quidem ex sequentibus, uti mihi persuadeo, adparebit.

Primum enim præclara illa mentis indoles & moderatio, castique & sinceri mores, quibus, quod supra demonstravi, carere nequit, cui alios, pueros præsertim in officio continere propositum est, unde plenius certiusque, quam ex hoc limpidissimo fonte promanabunt? Paucissimi profecto mortales eam habent a natura bonæ mentis sinceritatem & conformationem, quam in bono moderatore requisivimus. Omnes potius suos patiuntur manes: & quod sacræ paginæ docent, usus autem & experientia confirmat, omnium animi ita sunt natura ægri, imo in peccatis mortui, ut si non omnibus, certe alterutro ex disjunctis vitiis laborent. Qui enim, ut hoc utar, naturam nacti sunt leniorem & mitiorem, ita molles & remissi plerumque sunt, ut ad multa conniveant, procacibus pueris non satis resistent, eosque ruere ad illicita patiantur. Et qui natura severi sunt & acres, importuniores & atrociores esse solent, ut sua acerbitate, nimiaque vehementia non minus noceant, quam illi. Et quam pauci reperiuntur, qui solius naturæ rationisque opibus & præsi-

dius



diis se a delictis omnibus possint immunes & intactos præstare. Quod autem natura efficere nequit, gratia supernaturalis abunde largietur. Qui enim spiritus sancti operam admittunt, non modo turpitudinem & foeditatem omnem cum in moribus tum in factis agnoscunt, improbant, detestantur, horrent: sed etiam idoneis viribus, armisque muniantur per fidem, ut malorum lernam & velint & possint debellare. Nam cum in Christo veritas sit, exuunt veterem hominem, cujus errores & cupiditates indes magis magisque frangunt & dissolvunt, novum induentes, qui ad Deum conformatus vera justitia & sanctitate ornatur. Neque fieri potest, quin vera fides virtutum omnium, quarum parens est, & effectrix, fulgidissima cohorte comitata incedat: Uti periculum non est, ne hic illud accidat, quod a natura caveri nequit, ut verus Christianus, dum virtutibus studet, in finitima vitia incidat. Quem enim vera in Christum fides blandum facit, & comem, is cum comitate & lenitate severitatem & gravitatem conjunget ita, ut cum tenerrimo amore hominem complectendum putet, peccata ejus omnia, quod cum salute ejus pugnant, gravissime detestetur, & reprimat. Et in quo naturalis illa levitas, & impotens nimiusque amor per fidem in Christum reprimi potuit, illius severitas nec acerba erit, nec fera, sed amore illo, qui in ejus cor per spiritum sanctum effusus est, suavissime temperata, & condita.

Secundo, unde tenerrimus ille amor, quo non modo imbui, sed ferri & rapi oportet eum, qui juventutis moderandæ munus suscipit, haurietur, nisi ex uberrimo amoris Christi fonte, ad quem nemo, nisi per veram fidem, accedere potest?



potest? Requirit talem amorem in his, qui sibi hoc negotium imponi patiuntur, nemo, ut arbitror, dubitabit. Multi, suscepta hac proviacia, Aetna gravius onus se sustinere putant, quod non facerent, nisi juventutis vero amore destituerent. Quod si enim matri molestum non est, gestare infantulum & fingere; si vagitu ejus non offenditur, plurimaque incommoda non modo non gravate, sed lubenti animo suscipit; hortatur enim amor infusus, & stimulat: nec, qui juventutis amore commovetur paedagogus, quod muneris ratio ab eo exiget, grave aut molestum putabit. Atque hic amor Christi omnem rationem consiliaque omnia in regenda juventute moderari debet. Hoc amore ardentem oportet bonum paedagogum ad virtutem hortari & impellere, a vitiis autem dehortari & abducere. Eodem amore commotus male feriatos & petulantes reprehendet, coarguet, imo castigabit; bonos autem, probos, & pudentes fovebit & complectetur. Qui quidem amor cognitus atque animadversus a pueris reddet eos obsequentes & morigeros. Namque cum ex hoc fonte manare omnia, & in rogando, monendo, reprehendendo, coarguendo, imo puniendo præceptorem amore unice gubernari intelligent: vix erit aliquis tam improbus, tam perversus, tam projectus, ut amore nihil moveatur, & a quo se tenerrime amari sentit, eum laedere, & molestia adficere velit. Unde autem hic amor existet, nisi ex fide in Christum salvatorem? Cujus enim animum aliæ res ad amandum impellunt, ejus amor, uti sincerus & integer non est, deoque probari nequit, ita neque ad omnes pertinebit, nec his, quos complectitur, salutaris esse potest. Cui autem per filium vere persuasum est: suo sanguine verum Deum tum ceteros homines tum pueros ipsius curæ commissos redemisse, is, effuso in pectus ejus

B

amore



amore Dei, vehementissime eos diliget, nec molestum aut grave putabit, quod ad formandos conservandos & ornandos eos pertinere judicabit, quos tanto a Deo redemptos esse intelliget. Quod qui considerabit, facile mihi adsentiet, esse in bono paedagogo ante omnia, sitne vera fide instructus atque exornatus, quaerendum.

Habebam in animo, quæ de hoc argumento occurrerant, his pagellis concludere; sed pleraque in aliud tempus rejicere cogor. Sunt enim mihi adhuc non modo nomina adolescentum perscribenda, qui ad dicendum prodibunt, sed etiam Patroni & fautores literarum & Stephanei nostri rogandi, ut hanc qualemcunque exercitationem sua præsentia cohonestare velint. Quod non sine aliquo timore facio. Persuasi enim majori parti, ut pro orationibus, quas conficere ipsi malebant, loca potius aliquot Homeri, Ciceronis & Horatii interpretarentur, versionesque eas recitarent. Feci illud, quia mihi persuadebam, non inutilem fore illum laborem dicentibus, nec audientibus prorsus injucundum. Quemadmodum adolescentuli, ut sunt ab obsequendum, pro sua in me pietatè, parati, facile, ut meam auctoritatem sequerentur, adduci potuerunt, ita, ut consilium meum audientibus non prorsus displiceat, vehementer opto. Dicentium hic ordo est.

**JOHANNES HENRICUS THEODORUS CUNO,**

*Brunsvicensis*, versuum Homeri partem, quibus tempestatem, qua Ulysses oppressus est, cecinit, hexametris



tris germanicis redditam recitabit : alteram partem addet.

*FRIDERICUS CAROLUS SCHUMACHER*, *Berens-  
roda - Brunsvicensis*.

*LUDOVICUS CHRISTIANUS ANTONIUS WI-  
GAND*, *Wernigerodanus*, initium sextæ Rhapsodiæ  
Odyssææ Homericæ versibus heroicis latinis expressit.

*JOHANNES CHRISTIANUS RIESE*, *Westphalus*,  
Horatii Odam, Justum & tenacem &c. a se germa-  
nice conversam recitabit.

*THEODORUS FRIEDERICUS PHILIPPUS PUR-  
GOLD*, *Parchima - Magdeburgensis*, eximium locum  
orationis pro S. Roscio Amerino interpretatus est.

*JOHANNES CHRISTIANUS MICHAELIS*, *Hal-  
berstadiensis*, poësin & picturam comparare voluit pa-  
trio sermone.

*ANTONIUS GUILIELMUS CUNO*, *Brunsvicensis*,  
de voluptate ex latinæ & græcæ linguæ studio capi-  
enda aget latine.

*JOHANNES ALBERTUS FACH*, *Halberstadiensis*,  
oratione, in qua nihil a me mutatum est, utilitatem  
historiæ persequetur patria lingua.

Quos





Quos adolescentes optimæ spei, pudentes, probos & navos, ut & Reverendissimi Scholæ nostræ Patroni, & bonarum litterarum fautores frequentes, attente & benevole audire velint, tanto studiosius rogo, atque oro, quo digniores sunt, qui hunc fructum vel honestatis vel diligentiae suæ ferant, meaque non parum interest, ne adolescentes, quod meam auctoritatem apud se valere passi sint, pœniteat. Halberstadii, postrid. non. Januar. MDCCLXVI.



8.0 A 623A

vd 18

Nur für den Lesesaal

ULB Halle

004 585 895


3



*noch nicht verbunden*







70. 18

DE  
DISCIPLINA  
SCHOLASTICA

CONTINUATIONIS PRIME PARTICULA QUARTA.

PROGRAMMA

1,4 zu  
14 oct 80A6231

QUO

ACTUM ORATORIIUM  
IN STEPHANEO

HOR. POMER. DIE VII. JAN.

HABITUM IRI

SIGNIFICAT

CHRIST. GODOFR. STRUENSEE, R.



HALBERSTADII,

EX OFFICINA DELIANA, MDCCLXVI.